

In consecratione habeat : Diligentiam ad conficiendum Corpus Christi. Reverentiam ad tangendum Corpus Christi. Devotionem ad sumendum Corpus Christi.

In tangendo Corpus Christi sit reverentia. Magna propter continentiam tam excellentis Corporis Christi. Major propter continentiam tam excellentis Animæ Christi. Maxima propter continentiam tam excellentis divinitatis Christi.

Quid in consecrando intendit facere. Deum per lacrymas colere. Mortem Christi memorare. Totam Ecclesiam adunare.

Quid in consecrando intendit consequi. Augmentum dilectionis. Inseparabilitatem unionis. Accelerationem fruitionis.

Sit humilis oratio in primo et in secundo Memento. Ne tam indignus minister indigne recipiat tam dignissimum mysterium. Ne tam indevotus presbyter tam justissimum iudicem flectat in suum iudicium. Ne tam immundus hospes tam excellentissimum hospitem a se repellat fœtore criminum. Et ut eum Dominus piissimus participem faciat electorum sacerdotum.

In primo Memento pro se et pro vivis oret. Ut sint participes tanti mysterii. Auditores habiles missarum beneficii. Contemptores humiles vanitatum mundi. Satisfactores stabiles defectus proprii. Et sectatores vigiles divini beneficii.

In secundo Memento pro defunctis oret. Ut per suavissimum mysterium habeant continuum subsidium. Ut per preces Ecclesiæ fidelium habeant suave a pœnis refrigerium. Ut per hoc nostrum divinum viaticum habeant securum reditum ad sanctorum consortium.

Post missam, sit summa gratiarum actio. De tanto pane suavissimo angelorum creatore creaturarum recepto. De tanto cibo perpetuo omnium sanctorum creatore creaturarum recepto. De tanto viatico proficuo Christi electorum creatore creaturarum recepto.

(*Missale ad usum Ecclesiæ cathedralis.
Baionensis, 1543, p. 9).*)